

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAR TRIBUNAL

**Prot. n. 43924/10CG**

*Nullitatis Matrimonii*

**(X – Y)**

*Exceptionis suspicionis contra R.P.D. Ponentem*

**DECRETUM**

Sententia Rotalis coram A die 20 ianuarii 2006 lata decisionem confirmavit a Tribunali Regionali X primae instantiae die 30 novembris 1998 prolatam pro nullitate matrimonii in causa superius inscripta ex capite gravis defectus discretionis iudicij circa iura et officia matrimonialia essentialia ex parte viri actoris.

Adversus denegatum a Tribunali Rotae Romanae novum causae examen, pars conventa ad Turnum superiorem die 23 iulii 2007 appellavit.

Dissidiis exortis circa modum procedendi necnon circa causae procrastinationem, Cl.mus partis actricis Patronus exceptionem suspicionis movit adversus Rev.mum D.num B, a die 22 aprilis 2009 Ponentem in causa, et quidem nedum quoad causam *de qua*, sed quoad omnes causas pendentes in quibus idem Cl.mus Advocatus munus patrocinii exercet. Cuius recusationis motivum sive instantia die 20 aprilis 2010 coram H.S.T. porrecta sive in memoriali die 22 novembris 2010 praebito illustratur: de inimicitia ageretur a Rev.mo Ponente in Advocatum necnon «de eius animo minime sereno ac praecipue in causa *de qua*.

Actis a Rota Romana die 23 aprilis 2010 exquisitis atque die 28 septembribus 2010 obtentis, Rev.mus Ponens recusatus suam memoriam produxit, Rev.mus D.nus Promotor Iustitiae deputatus, votum pro rei veritate prompsit et Cl.mus partis conventae Patronus suum memoriale porrexit.

Quibus omnibus praehabitis,

**SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL**

Viso praescripto art. 62 *Legis propriae* qua haec Signatura Apostolica regitur, iuxta quod suspicionis exceptio contra Iudicem Rotae Romanae proponi potest in casibus de quibus in can. 1448, §1, id est cum quid Iudicis intersit ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae

rectae et usque ad quartum gradum lineae collateralis, vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi;

Praemisso quod exceptio suspicionis necnon motiva recusationis, quae propriis reguntur praescriptis atque utpote odiosa sunt strictae interpretationis (cf. can. 18), apte distinguuntur ab aliis iuris remediis quae ad iustitiam tuendam apud ordinem processualem prostant;

Perspecto in primis quod magna simultas de qua in can. 1448, §1 per se et proprie Patronum non spectat utpote in processu patrocinium exercentem;

Considerato quod iuxta H.S.T. iurisprudentiam motivum recusationis de quo in can. 1448, §1 per se non constituunt censurae vel animadversiones propter acta a Iudice in exercitio muneric ei commissi posita (cf. decretum in Congressu diei 20 octobris 2003 in causa prot. n. 34453/03 CG latum);

Perpenso quod rationes omnes a Cl.mo partis actricis Patrono allatae ad meritum causae seu ad acta a Iudice in exercitio muneric ei commissi posita pertinent; etenim, exempli causa, agitur:

- de instructione, una cum eiusdemque evolutione, a Rev.mo Ponente recusato decreta in processu de novo causae examine concedendo, annon, quae ius defensionis partibus praepedivisset vel animum Iudicis de exitu causae iam revelavisset;

- de imposito sibi ab eodem Rev.mo Ponente silentio in causa prot. n. 18906 apud Rotam Romanam, quod per verba iniuriosa impositum fuisse et quodammodo iuri defensionis adversum;

Pro comperto proinde habito quod rationes adductae iure et facto recusationis motivo de quo in can. 1448, §1 impares sunt;

Re sedulo examini subiecta in Congressu die 2 februarii 2011 coram infrascripto Praefecto habito,

**decrevit:**

**Exceptionem suspicionis, de qua in casu, reiciendam esse et facto reici.**

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAR TRIBUNAL

Pro expensis retinetur cautio in H.S.T. arca deposita.

Quod decretum ad normam art. 65 *Legis propriae* H.S.T. Exc.mo Rotae Romanae Decano notificetur.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 2 februarii 2011

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

+ Franciscus DANEELS, o.praem., *Secretarius*